

Hosannah Smolandicum, dum
vir maximè reverendus
atq[ue] amplissimus, dn.
En...

Almqvist, Haraldus Magni,

1 Ic 1685 Svenonius, Enevaldus



HOSANNAH SMOLANDICUM,

Dum

VIR

Maximè Reverendus atq; amplissimus,

Dⁿ. ENEVALDUS
SVENONIUS,

Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctor & Professor
Primarius, doctrinâ & scriptis Longè celeberrimus, Diœce-
seos Aboensis Archi-Præpositus & Parochiarum, quæ Deo Aboæ
& in Parœcia Nummeni colliguntur, Pastor dignissimus;
secundum unanimum senatus Academici Consensum in
Templo Cathedrali ἐν τῇ καθεδρῳίᾳ MDC LXXXV,
Die 25. Junii.

RECTOR MAGNIFICUS

Crearetur

Fusum

à

Suis Concivibus & Discipulis.

[ABOÆ

Excudit JOHANNES Winter/ Typ. Reg.

25

1685



Angite lætificos versus de pectoris imo,
Cultores *Μεσοων*, fundite dulce melos,
Fundite dulce melos, pertentent gaudia
mentem.

Perdoctam vestram, tempore lætifico
hoc:

Tu studiosa cohors florens florentibus
annis

Fila lyræ, docta sollicitato manu!

Nam tibi contribuit de cœlo juppiter almus
Doctum Doctorem, Thejologum eximium,

Qvi tibi aqvam sanam præbet de fonte salutis;
Hic jam suscipiet munia socratica;

Vos igitur cuncti manibus complodite mecum,
Ferteqve nunc laudes ore sonante Deo!

Unâ conjunctas ad sidera tendite palmas,
Ut noster semper MAGNIFICUS vigeat!

Atqve regat jüstè hæc Academica jura juventæ,
Ac tandem in cœlis præmia digna ferat!

Tuæ Magnificentiæ

*Suam debitam reverentiam hisce horariis
versibus calamo agresti fufis, de-
clarare voluit ac debuit*

HARALD. N. L. M. D. W. J. S. T.

Ecqvod

Eqvōd nunc conspicitur jubar?

Qvōd diem

Nescio qvā non lætitiā serenum profert,

Amicis svavissimum,

Musis Charissimum,

Totiqve Pierio choro Jucundissimum;

Qvō

Reſtoratus honorificum munus

In humeros

Reverendissimi ac Amplissimi

Dn. ENEVALDI SVENONII

S. S. Theol. Doct. consummatissimi,

Derivandum sit

Qvi Solennis actus, Eja!

Qvam serenum hunc reddit diem;

Fulgent Academica sceptrā;

Vigent leges,

Floret Reſpublica literaria,

Qvapropter plaudunt Academici cives,

Concurrunt lætantes

Sibi gratulantes

De novo hoc Rectore

Qvi onus cum honore grave,

Non sui sed publici commodi causa

Humeris suis imponi passus est.

Qvid igitur restat?

Nisi ut te, Religionis columnam firmissimam;

In excellenti hoc munere

Vigere,

Florere,

Ac valere

Optem

In annos usque nestoreos;

Patriæ commodo maximo

Reip. incremento egregio

Tuis solatio svavissimo

Nobis omnibus deniqve defensionis strenuæ.

Sic festinus quidem animo tamen tubenti novum

Reſtoratus munus gratulabatur Reverend. S.

D. Doct. Nutritio suo propensissimo

ABRAHAMUS MELLIIN, Reg: Al:



Ergo O NOSTRA, quæ hic flores ACADEMIA Aboæ vere felicem pronunciem, vere faustam ebuccinem, & verè prosperam exclamem. Te celebrat omnis doctorum chorus, te canunt Musæ, cantant literæ, concinunt iugis Parnassi, Heliconis colles, Nympharum sedes, amnes, di-
verticula. Tibi ergo ut omnis pariter psallet anima interest. quæ erectæ indolis mentes, non incuria perire, non vitij delectari; verum ut artibus potius liberalibus imbuantur, ut exercitiis grandioribus instruantur, ac sanctam sapientiam, quæ vel hodiè maximè florent imperia, amplectantur, amat ac desiderat. Quippe qui Coetus, quotannis necessariâ ac immutabili quidem, verum semper prospera ac benignâ gaudet rerum permutatione, is ipse est benedictus putandus, Deo gratus appellandus ac interruptâ illâ divinâ gratiâ perpetuus dico perpetuo divus nuncupandus. Scilicet habet quo fulciatur, cum reliqua (puta quæ annuam mutationem subeunt) corruunt; habet quo vigeat virescens, cum reliqua arescunt; habet denique quo exultet, cum reliqua misero fato misera plorant, ejulant, lamentantur. Sunt namque mundi huius senectæ rari successus, sunt è contrario plura incommoda, & casus ut plurimi, sic maximè flebiles. Iam autem cum tu ACADEMIA NOSTRA is ipse mihi Coetus fueris, qui hac suâ annuâ ac immutabili, verum ut semper, sic paritèr hodiè jucundâ rerum permutatione prouens exilit: Dum summum istum philosophum, multò laudandum Præceptorem, ac studiorum promotorem propensissimum, *Pl. Reperendum & Excellentissimum Dnum M. PETRUM LAURBECCHIUM*, excipit Lycæi huius senior, Theologorum hoc seculo non minimus, verum omnium studiosorum Mecænas certè maximus. Maximè Reverendus & ipsâ celebritate Amplissimus Dn. Doctor ENEVALDUS SVE-
NONIUS, Rectoratus munus nunc *Vice quartâ* Magnificè recepturus. Quam remoram mihi injicias, quò minus Conclusionem meam sic repetendo enarrem: *Te ergo ACADEMIA Nostra Verè felicem pronunciem, faustam canant Musæ, psallet tibi omnis anima.* Adeo ter gratum te accipimus cuncti, *Magnifice Dn. Rector*, qui te in hoc tuo Rectoratus administrando munere fato fausto felicem, nobis nostrisque Musis exoptamus paritèr. Cui omnium voto tantum hoc unicum, nomine meo adiicio, ut scilicet Patriâ, Ecclesiâ Literis, domo tua Amplissimâ, ac omni omnium multitudinem applaudentibus in divini nominis gloriam & propriam immortalitatem, diu etiamnum nobis sis superstes! Quod cernuus precor, qui quoque summoperè studeo dici

*Tuæ Magnificentiæ
Humilissimus Clientis
HAQVINUS Wiffing Scrip. Reg.*



exoptatam phœbi lucem! o diem nobis latum! in
quo, Tu Maximè Reverende Dn. *Doctor*, suffragio
Celsissimi *Cancellarij* & unanimi Amplissimi sena-
tus Academici adplausu sceptrum imperiumqve
Academicum magna cum pompa capeſſis; Te, ad
hunc honorem, quarta iam vice, evexit indefeſſum in erudi-
enda iuventute ſtudium, Tua in Religionis Chriſtiana negotiis
procurandis ſumma dexteritas, in hæreſibus refellendis admi-
rabilis ſolertia, ſicut & egregia in arcanis ſcripturæ ſenſibus eru-
endis perſpicacitas, ac in ceteris omnibus elegantia inſignis.
Tanto majus eſt gaudium noſtrum, tanto Major feſtivitas, quod
Tu Lumen Patriæ, omniſdoctrinæ & pietatis exemplar *Magni-
ficius* noſter ſis renuntiatus *Rector*. Latetur igitur mecum Coro-
na ſtudioſorum tota & Tibi Provinciam duram nunc ſubituro
proſpera & fauſta quævis precetur. Tu es Patronus noſter be-
nigniſſimus, tu es deſenſor promptiſſimus, Tu es Moderator &
poſt Deum & Regem protector Maximus, qui ſecundum leges
& ſenatus vota ſententias ſers auctoritatè publicâ, de cauſis gra-
viſſimis acutiſſimè iudicas, dextram ſolatiij, conſilijqve porrigis
inopibus. Quare nunc florentiſſima Muſarum cohors ſurge, ac
de tanti capitis fauſtis honoribus latare, Tibi etiam ego humi-
limus clientulus decus auſpicatiſſimum una cum ceteris, hila-
ris congratulor. Atqve inſuper divinum Numen ſupplex
veneror, dignetur ſub hoc Tuo Regimine, Te omni benedictio-
num cum cœleſtium tum terreſtrium genere cumulare, omni-
buſq; conſiliis & actionibus progreſſus exituſqve proſperrimos
dare, ut cuncta in Divini Nominis Gloriam, patriæ commodū,
ſtudioſæ juventutis emolumentum, tuum deniqve immortalè
decus & laudem nunquam inter morituram, vergant. Sic vovet,
ſic optat, ſic precatur

Tue Magnificentiæ
Ad devotiſſima obſeqvia
devinctiſſimus

MAGNUS C. *U. M.*

Wex. Smol.

A 3

Non



Non meum est dicere, quam humili animo, quantaque reverentia agnosco maximum istum honorem, quo mihi licuit ingenii vires recognoscendo memet exercere, in opere tuo hoc proximo, ac nunquam satis laudando, MAGNIFICE D. RECTOR faciunt namque hoc omnes verè boni, tantoque magis Ego, quem timidum erexisti, quem tentantem adjuvisti, rogantem responso mihi dignatus fuisti, ac vacillantem dextra tua deduxisti ad stabile fulcrum. Verum quid moror dicere, quod libere sentio & cujus gratia rudem hanc pennam arripui: Certum est, quod *diem nostri* præfero, undè eius tenebrarum densitate relicta, nullo non gaudio ipsam amplector auroram. Hyemem abigi ac animarum istud refrigerium *Ver* adesse non sordidis nec tristioribus palpebris, verum exporrecta potius facie, ac titillantibus oculis sæpius solitus sum advertere. Delector omnibus, commoveor viridi, amplector studiosè quævis gramina, & quo magis rutilat Smaragdus, eo ardentiori desiderio hominum capit animum, decipit oculos. Hostis denique instar fortissimi, corporis nostri thoracem debellat & expugnat rerum variarum varium studium. Adeo hominem ducunt, hominem reducant ab hoc ad illud, à terra in cælum elevant, ab aqua ad aërè contemplandum instigant, rerum mundanarum choragus, & innatum homini desiderium res inquirendi delectabiles. Ecce Te adloquor Magnifice Domine Rector, quem novi munus Rectoratus suscepturum, omnium votis atque applausu, & ut reliqua virtutis tuæ decora taceam, quibus mihi patet aditus, ut rudioribus quibusvis lineis te venerer, animi tui in omnes *Musarum* cultores benignitatem deprædicare nunquã desinam, & erit hæc nunc, & etiamnum olim votorum meorum summa, ut vivas, vigeas valeasque! quem studiorum, morum ac vitæ nostræ agnoscimus censorem. Et ut hoc votum tanto felicius tibi succedat, cum sanè omnes te hoc munere dignissimum judicamus, Deum precamur cernui, teque Magistratum nostrum ore venerabundo agnoscimus, qui nobis imperitabis. Tu interim vive nostri gregis felicissimus dux, Deusque benedictionem tibi largam ac eventum apprimè faustum largiri dignetur, semper precabitur qui studio summo efflagitat ut sit.

*Tuæ Magnificentie
Minimorum cliens*

JONAS SWANBERG.
Wex. Smol.

Certè



Erte gravis subest causa, cur adeo vehementer in letitiam prorumpo, ut ipsum gaudium etiam in vulgus edere vehementer discupiam. Latitiam enim perfunditur animus meus haud immerito dum Tu Amplissime & Excellentissime Dn. Doctor, Academia nostra & Ecclesia lumen coruscans, ex prescripto eorum quorum interest, novum Rectoratus munus, magna cum pompa honoratissimis Tuis humeris imponi passus es. Hunc honorem & decus in quo Te jam fata collocarunt, optime meruisti, cum in juventute, tot ac tantas externas regiones, tot Academias visitaisti, omnesque plane molestias, quae molles & delicatos a studiis deterrere solent, forti animo devorasti, & tandem in patriam supellectilem eximiam deportasti, cujus testes egregia sunt ingenij Tui monumenta, quae per omnes terrarum oras, ubi florentissima Musarum sedes vigent, famam post fata etiam tuam, ad omnem posteritatis memoriam adeo disseminant, ut nullo oblivionis tegmine obfuscari possit. Ambigenti sane mihi quam sepiissime, quo pacto, quibus officiis gratissimum meum animum erga Te Amplissime & Excellentissime Dn. Doctor declararem, occasionem tandem praebuit, quae me commonefacit observantia, Ampliff. ac Excell. Dn. Doctor, debita. Tibi itaque, cui tanta reverentia, nec petenti nec ambientem obrigerit, ex animo gratulor, mihique quod ansam gratulandi fors dederit, gaudeo. Te jam Rectorem Magnificum totis animis plenoque ore salutamus, colimus, observamus. Quis festivitate hujus temporis non capitur? quis letitia magna non afficitur? quam fortuna benigna tam opportunè in hunc conclusit diem! Quod reliquum est, vultum ad preces dirigo & Deum Astripotentem ex imis cordis penetralibus suppliciter imploro, ut Ampliff. & Excell. Dn. Doctorem in seram, placidam, tranquillam & jucundam senectutem servare velit, in Dei Altissimi gloriam, in Patria emolumentum, nec non Reip. literariae ornamentum maximum. Et denique ampliff. & Excell. Dn. Doctorem Deo commendatum habere velim, qui maneo, dum superstes sum,

Tuae Magnificientiae
ad devotissima obsequia devinctus
IOHAN. HORNÆUS
DO.

DOCTOR THEOLOGIAE
ENEVALDUS SVENONIUS

ACADEMIÆ ABOENSIS RECTOR.

Per duplex ἀνάσθημα:

EIA! LUTHERI O DOCTRINAM DOCENS NOS ABOÆ,
REGET NOS. O JESU, DVCE, SALVÆ!
O SALVE REGNI DECUS! VICTOR HOSTIUM SANO
SONO ARÆ, COELO DEINDE BEATE.

Brevibus sic Elaboratum:



EIA! Deo Psalium Borealia dicite regna,
Phosphorus ejus enim, luxque serena micat!
EIA! Deo laudum modulus cane Fennica tellus
Heic manus est Domini, vox resonatque Dei!
EIA! Psalle Deo studiosa Aboica Pubes
Carmen ei lætans, nunc modulare tuum!
NOS queis ex studiis nomen, NOS hoc REGET anno
Quem fecere virum, justitia & pietas.
LUTHERIQUE DOCENS DOCTRINAM candidè ABOÆ,
Pascet oves pariter, discipulosque REGET.
O JESU DUCE, NOS Salvi, tum res quoque SALVÆ!
O SALVE REGNI, Tu Patriæque DECUS,
HIC VICTOR SANOque SONO fugat HOSTIUM acerbas
Eccè strophas, ARÆ cum sacra vera parat:
Vive diu, rege nos, rege nos, O Candide DOCTOR,
Heic apud nos salvus dogmata sacra tua
Propone ex Cathedrâ, in laudem & decus astripotentis,
Ut Patriæ utilitas, ædificetur item.
Denique Tu DOCTOR mare cum sulcaveris hocce
In COELO portum DEINDE BEATE, cape!
Nectaris Ambrosiæque cibus ENEVALDE beator,
Tunc uti sol splendens, ῥηισσάγωνque canens!

Sic toto pectore vovet, adplauditq̄, ut beneficijs
devotissimus: im̄, donec in vivis, gratissimus

PETRUS LINSTORPHIUS.

Wex. Smol.